



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 61. Schisma Coloniense.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XV.  
A.C. 1414

p. 14.

ceptionem concilii, quæ fiebat per solemnem supplicationem. Hac finita Papa peragebat sacrum de Spiritu Sancto: & Cardinalis Florentinus Franciscus Zarabella conscenso pulpito Papæ, Concillique nomine sessionem indixit in diem Veneris 16 ejusdem mensis. Die sabbati 10 Novembris Roma venerunt litteræ Cardinalis Jacobi Isolani pontificii hac in urbe Legati referentis, ibi rerum summopotentum Petrum Matthenzium inde pulsatum a se, ac profanam Papæ dominationem illuc restitutam esse. Qui nunciatus ingenti gaudio Constantiæ fuit acceptus; Deoque gratiæ pro re tam fausta solemniter agebantur.

§. LXI.

*Schisma Coloniense.*

Rayn. 1414.  
n. 12.

Interea Imperator Sigismundus Aquisgranus 8 Novembris in æde Domine Nostræ Canonorum collegio clara consuetas inter ceremonias corona redemptus argentea mox rei notitiam Papæ Joanni dedit, se concilio quamprimum assensurum spondens. Hanc ei coronam imposuit Coloniensis Archiepiscopus Theodoricus Mursius successor Friderici Saverdii avunculi sui 6 Aprilis hoc anno mortui. Electio duplex fuit: pauci Canonici man-

Gall. Chri.  
to. 1. p. 266.  
Gobel. c. 93.  
p. 294



nentes Coloniae postularunt Guilielmum Montensem jam electum Paderbornensem Episcopum: caeteri Bonnam profecti suum in Archiepiscopum ibi cooptarunt Theodoricum Mursum Bonnæ Præpositum, qui extincti avunculi sui thesaurum, ornatusque gemmeos, & quædam dioceseos castella occupaverat, quæ vendidit, aut oppignoravit.

Sæcul. XV.  
A.C. 1414.

Ita congesta grandi pecunia ad Papam Joannem ornatissimos Oratores eximiiis cum donis misit: & cum præterea per Imperatorem Sigismundum, ac Joannem Nassovium Moguntiae Archiepiscopum commendaretur, reapse Papa Joannes illius electionem confirmavit. Ex parte altera pro Guilielmo Montensi apud Gregorium XII per Legatos dixit Montium Dux Adolphus frater suus, cui multi se Optimates cum adjungerent, res grave in bellum duos inter æmulos erupit. Paderbornenses Canonici civesque Guilielmum agnoscere suum Episcopum quinquennio recusantes Theodoricum, ad quem ab illo desciverant, 2 Octobris ad se delatum receperunt in Administratorem episcopatus. Demum tam potenti adversario imparem se videns Guilielmus juncta cum eo pace, remissoque ambabus Ecclesiis nuncio duxit neptem Theodori,

Z z 2

rici,



Secul. XV.  
A. C. 1414.

rici, qui sic permanfit tranquillus poffeffor  
folii Colonienfis.

## §. LXII.

*Flagellantes hæretici.*

Gobel. p.  
295.

Hoc anno 1414 in Mifniæ urbe Sanger-  
hufio deprehendi funt multi hæreti-  
ci, qui fe dicebant *Fratres Crucis*, ac per-  
hibebant fuam doctrinam effe haufam e  
fcripto in Romanam S. Petri aram per  
Angelos delato fub annum 343: ita res  
hæc recidit in ætatem proximam a S.  
Silveftro. Ex illo tempore, aiebant, per-  
agramus orbem nos cædentes flagris:  
tunc enim Deus Papæ, cæterisque Præ-  
fulibus abdicatis ademit omnem potef-  
tatem ligandi, folvendi, & confecrandi  
quidpiam. Quemadmodum Chriftus ex-  
turbando venditores e templo facerdo-  
tium Judaicum repudiavit ob nequitiam  
Sacerdotum: ita cum veniffent Fratres  
Crucis, Deus facerdotium Evangelicum  
rejecit ob malitiam Cleri.

Sex Sacramenta obfoleverunt in Ec-  
clefia. Nam quando Fratres Crucis cœ-  
perunt per orbem ire poft crucem ali-  
quam flagellis publice terga lacerantes  
fua, Deus abrogato baptifmo aquæ in-  
ffituit baptifma noftri fanguinis. Jam  
tum, cum in urbe Cana Galilææ Chriftus  
aquam